MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80620-26

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

LEERS, RUDOLF

TITLE:

DE NOMINUM, QUIBUS TEMPORA...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1885

Master Negative #

92-80620-26

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books        FUL/BIB   NYCG92-B34287          Acquisitions      NYCG-PT
Record 1 of 0 - SAVE record
+
 ID:NYCG92-B34287             RTYP:a     ST:s    FRN:   MS:   EL:        AD:05-18-92
 CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?    MOD:     SNR:      ATC:           UD:05-18-92
 CP:gw      L:lat     INT:?   GPC:?    BIO:?    FIC:?     CON:???
 PC:s      PD:1885/           REP:?    CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
 MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:          COL:      EML:       GEN:   BSE:
 040      NNC‡cNNC
 100 1    Leers, Rudolf.
 245 10   De nominum, quibus tempora significantur, usu Plautino‡h[microform].‡b
        dissertatio inauguralis philologica quam...‡cscripsit Rudolfus Leers.
 260      Halis Saxonum,‡bTypis A. Kloeppel, Islebiae,‡c1885.
 300      39 p
 LDG      ORIG
 QD       05-18-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/12/93   INITIALS MY

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

CHARLES KNAPP
LIBRARY
1937

v. 7

87PD Z8 87

Columbia University
in the City of New York

LIBRARY

DE NOMINUM, QUIBUS TEMPORA SIGNIFICANTUR, USU PLAUTINO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

RUDOLFUS LEERS

SAXO-BORUSSUS.

UNIVERSITY LIBRARY

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXV.

TYPIS A. KLOEPPEL, ISLEBIAE.

Postquam Plautum in locis indicandis non tanta quanta vulgo creditur licentia praepositiones aut posuisse aut omisisse nuper a Goerbigio [1]) demonstratum est, operae pretium me facturum esse spero, si nominum, quibus tempora significantur, usum Plautinum accuratius exposuerim. Nam quamvis multa exempla, quae huc pertineant, a viris doctis collata sint, [2]) tamen a nullo adhuc exempla in ordinem satis perspicuum redacta aut omnia, quae huc referenda erant, allata sunt.

Itaque hanc rem denuo examinandam mihi proposui.

Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, paucis explicabo, quo ordine materiem disposuerim.

Omnis igitur disputatio divisa est in partes duas, quarum altera est de ablativi usu (Pars I), altera de accusativo (Pars II), atque ita quidem rem persecutus sum, ut priore utriusque partis loco de iis vocabulis disputarem, quae per se ipsa certum quoddam temporis momentum vel spatium significant (tempus, tempestas; saeculum, annus, mensis; dies, nox; hora etc.) quas licet nominemus „notiones proprie temporales"; altero autem loco ut dissererem de iis vocabulis, quae proprie non tempus indicant, sed rem significant, quae in idem tempus cum alia re vel actione

---

[1]) Nominum, quibus loca significantur, usus Plautinus exponitur etc. Halberstadii, 1883.

[2]) *Holtze*, Synt. prisc. script. Lat. I. p. 99—120, 183—226; *Draeger*, Hist. Syntax I. §§ 178, 223; *Ebrard* in Fleckeiseni ann. suppl. X. 1879, p. 575—655: „de ablativi, locativi, instrumentalis apud priscos scriptores Latinos usu"; *Kampmann*, de Ab praepositionis usu Plautino; de In praepositionis usu Plautino, de Ex praepositionis usu Plautino in programm. Vratislav, 1845. *Kuehner*, Lat. Grammatik II. §§ 72. 79.

incidat, facile autem pro tempore ipso ponuntur, quocum cohaerent (lux, sol, crepusculum, diluculum, aurora, tenebrae; ludi, Calendae, Aphrodisiae, quinquatrus; bellum, pax; vita, aetas, adolescentia, senecta, puer, alia) quae nominabimus „notiones translate temporales".

Pars I. De Ablativo temporis.

Priusquam ad singulas notionum temporalium leges constituendas accedamus, loca omnia nullo si fieri poterit omisso, qui quidem ad hanc rem maximi momenti est, enumerare et distribuere conabimur, quo facilius usus Plautinus ex ipsis exemplis cognoscatur.

I. Notiones proprie temporales.

a. tempus, tempestas.

Tempus generaliter a Plauto significatur vocabulis „tempus" et „tempestas". Ablativus „tempore" quum addito adiectivo vel pronomine accuratius definitur, promiscue praepositiones ponuntur vel omittuntur.

Ponuntur praepositiones, si pronomen „ipse" accedit, in his versibus: Cist. IV 1. 18[1]) *in tempore ipso* spes mihi sancta venit. Poen. 1138 Quom tu huc advenisti hodie *in ipso tempore.*

Si alia attributa adduntur, praepositio „In" omittitur. Rud. prol. 4 Signum quod semper *tempore* exoritur *suo.* Merc. 33 Quae nihil attingunt ad rem nec sunt usui, Ea amator profert saepe *advorso tempore.* Amph. 567 potest fieri, *tempore uno* Homo idem duobus locis ut simul sit?

---

[1]) In exemplis afferendis sequor ordinem ac numerum versuum harum editionum: *Ritschelii* Trin. Epid. Curc. Asin. Truc. Aul. Amph. Merc. Stich. Poen. Mil. Bacch. Pseud. Men. Most. Pers. *Sonnenscheinii* Capt. *Fleckeiseni* Rud. *Weisii* Cas. Cist. Ne errores exoriantur moneo, ubicunque Ritschelium nominavi me voluisse significare aut illum ipsum aut socios ab eo operae adsumptos *Loewe, Goetz, Schoell.*

Quum autem attributio deest, praepositio exstat in his: Capt. 836 *in tempore* advenis. Amph. 877 Atque Alcumenae *in tempore* auxilium feram. Patet „in tempore" his locis idem valere ac „suo tempore" vel „opportune". Vid. Draeger l. l. I, 490.

Restant tria exempla, ubi codices abl. „tempore" omissa praepositione exhibent, quae quamquam non defuerunt, qui probarent,[1]) tamen si accuratius inspexeris suspicione haud carere intelleges.

Epid. 406 Edepol ne istam hodie *tempore* gnato tuo Sumus praemercati! (tempore B F) libri praebent „tempore" cum vitio numerorum,[2]) qui creticum flagitant, qua de causa Bothius[3]) scripsit „tempori", quod probat Holtzius I, p. 103. Quae quidem forma „tempori"[4]) etsi non est cur necessario improbetur, tamen si codicum auctoritatem sequimur certo intellegemus, quum suo tempore, non sero, fieri quidpiam dicendum esset, Plauto placuisse aut „in tempore" (Amph. 877 Capt. 836) aut „temperi". Et exempla quum sint undeviginti, „temperi" formam optimi libri aut aperte aut non dubiis vestigiis servaverunt quindecim locis: Aul. 454 *temperi* Ba, sed „tempori" e correctura; Trin. 911. Cas. II. 6, 60 *temperi* item B a m. pr., secunda demum „tempori". Most. 314 *temperi* omnes libri. Men. 445. 464. 467 *temperi C D,* nisi quod „tempori" Dc. Merc. 989 *temper* C D, temperare B; temperi Acidalius. Pseud. 387 *temperi* A et Gloss. Plaut., „tempori" reliqui. ibid. 1182, *temperi* A B C D, nisi quod „tempere" in D a. m. pr. fuit. Pers. 229 *temperi* libri et Gloss. Plaut., „tempori" solus D a. m. rec.; ibid. 768 prorsus ut in 229, ubi *temperi* bis in eodem versu, „tempori" bis D a. m. rec.; Rud. 921. Stich. 654 *„temperi"* libri omnes et Gloss. Plaut.

Uno solo versu Capt. 183 exstat *tempori* in B, quod quidem cum Ritschelio,[5]) Fleckeiseno, Sonnenscheinio, quos sequitur

---

[1]) *Ebrard, Fleckeisen, Draeger.*

[2]) Cf. *Ritschelium* in ed. sua et *Muellerum,* Plaut. Prosodie p. 747.

[3]) Plauti comoediae ed. *Fr. H. Bothe.* Berol. 1809—11. 4 voll.

[4]) Cf. *Draeger* I, p. 487 sq.

[5]) Set si venturu's, temperi (int. venias). Sic scribendum est sec. praeceptum *Ritschelii* proleg. ad Trin. p. 109. Vulgo venturus.

Ebrardus, ad reliquorum multitudinem accommodandum esse censeo, praesertim cum octo versibus post (191) in eodem sermone eademque sententia insequatur „temperi“. Quare Epid. 406 pro codicum „tempore“ non „tempori“ sed „temperi“ potius scribendum est, quod recepit Goetzius Guyetum secutus.

Neque magis Men. 1020 Edepol, ere, ne tibi suppetias *tempore* adveni modo (*tempore* libri, et Ebrardus l. c.) codicum scriptura ullam speciem probabilitatis habet.. Nam vix credibile est, Plautum uno tantum loco cum veniendi notione conjunxisse „tempore“, sex autem aliis locis (bis in Men. singulis in Capt. Most. Stich. Trin.) cum eadem notione maluisse sociare „temperi“. Quod si quis in uno, qui nunc est relictus, versu Asin. 733 Ut *tempore* opportuneque attulistis („tempore“ libri et Fleckeisenus) lectionem „tempore“ retinendam esse censeat, vereor ne iniuria ille Plautum aequet cum poetis, qui soli simplicem „tempore“ ablativum, sed raris exemplis nec nisi cogente metro dactylico sic admiserunt, ut idem valeret, quod „suo tempore“. Itaque hoc quoque loco contra codd. auctoritatem cum Ritschelio[1]) scribendum censeo „temperi“.

Ex his quae disputavimus sequitur vocabulum „tempus“, quum attributione caret, ubique cum praepositione „In“ coniungi.

Jam accedamus ad alterum illud vocabulum „tempestas“, quo tempus generaliter indicatur.

Ablativus „tempestate“, quum ubique attributio accedat, nusquam cum praepositione „In“ conjunctus legitur. Rud. 917. *Tempestate saeva* experiri expetivi qui..., meam servitutem tolerarem. Merc. 195 *saevis tempestatibus*. Cas. prol. 18. *Ea tempestate* flos poetarum fuit. Rud. 1189. Quia illa (sc. praeda) tam *turbulenta tempestate* evenerat.

---

[1]) Vid. editionem *Ritschelii* eiusque commentarium in vit. Terentii, opusc. III, p. 244. Nihil facit *Kuehnast* l. l. 180, qui Liv. X. 14. 18. cod. Med. et Par. „tempore“ exhibere testatur, (Vide *Draeger* p. 490) et recte *Weissenbornius* inseruit „in“ praepositionem; nam „in tempore“ quindecies exstat apud Liv. et inaudita est talis loquendi ratio in sermone prosaico. Cic. off. III, 14. 58 et I, 29. 104 temperi scribendum esse monet *Heine;* „tempori“ non recte *Kuehner* II. p. 264.

b. Saeculum, annus, mensis.

Substantivum „saeculum“ bis tantum invenitur, Aul. 126 Nec mutam profecto repertam ullam esse hodie Dicunt mulierem *ullo in saeculo* (sic Goetzius, libros secutus, ullod Ritschelius Nov. exc. Plaut. p. 62). Mil. 1079 Quin mille annorum perpetuo vivunt *ab saeclo* ad saeclum.

„Annus“ vocabulum, quum additamentum adsciscit, nusquam apud Plautum cum praepositione conjunctum est. Significatur autem primum tempus, quo quid fit: Merc. 66 Nec nisi *quincto anno quoque* solitum visere Urbem. Bacch. 928 Et mille numero navium *decumo anno* post subegerunt . . . Pergamum. Most. 159 Eventus rebus omnibust, velut *horno* (intell. anno) messis magnast. Sic quoque Lucilius omisso anno VII, 2; XXVIII, 23. Tum tempus quoque, per quo dactio aliqua durat, indicatur Bacch. 6 sqq. Ulixem audivi fuisse aerumnosissimum, Qui *viginti annis* errans a patria abfuit. Verum hic Ulixem multo adulescens antidit. Sic cum Ritschelio legendum videtur. Vide, quae is de his versibus in Mus. Rhen. t. IV, p. 354 sqq. et 567 sqq. disputavit. Frustra hunc locum interpretes tentarunt velut Bothius.[1]) Nam non tam inusitatam esse hanc loquendi rationem quam adhuc grammatici statuerunt, docent Cic. off. 3, 1 *triginta annis* vixisse Panaetium, et Suet. Cal. 59 vixit *annis undetriginta.* Profecta autem est, ni fallor, haec loquendi ratio ex neglegentiore sermone vulgari.

Quum ablativus „anno“ attributione caret, praepositio „In“ ponitur, velut Rud. 1127 Rerin ter tu *in anno* has ovis tonsitari, aut interdum omittitur, ut Truc. 393 qui quasi uxorem sibi Me habebat *anno, dum* hic fuit. Sic enim scribendum est cum Schoellio, qui videtur secutus esse Lipsium Ant. lect. I, 3. Cf. Bergk. Beitr. p. 60 et Dombart. Philol. XXVIII p. 735 (anno

---

[1]) Scripsit *Bothius:* Ulixem . . . . . aerumnosissimum viginti annis et Ulixem multo adulescens antidit, haud dubie secutus Charisium p. 184 sq. qui versus ita scriptos affert: Ulixem audivi fuisse aerumnosissimum Annis viginti et adulescens multo Uli::em anteit, ita ut coaluerint versus 6 et 7.

um dū̃ B D[1], annoum dum C, quod Itali mutarunt in „anno uno dum"). Vid. Truc. ed. Schoell. praef. XV not. 1 et Geppert. Stud. Plaut. I p. 87—111. „Annum dum" voluit Camerarius scribere, non recte. Comprobatur enim Lipsii conjectura Amph. prol. 91 Etiam histriones *anno quom* in proscenio hic Jovem invocarunt venit (sic libri). Cujus versus[1]) auctoritas quamquam non tanta est, ut usus Plautinus constituatur, tamen ex eo cognoscimus veteres sic loqui potuisse, et Plautum sic esse locutum intellegimus ex Men. 205 Quattuor minis ego istanc emi *anno* uxori meae. Patet autem his locis „anno" idem valere atque „anno praeterito", ut recte jam dudum acceperunt interpretes. Vid. Gronov. ad Amph. l. l. Intelligitur, inquit τὸ abhinc. Aliter res se habet Most. 505 Quae hic monstra fiunt *anno* vix possum eloqui, ubi significatur tempus, intra quod aliquid fit. Etiam hoc loco „anno" significantem, ut ita dicam, vim induisse facile apparet; opponitur autem „annus" aliis vocabulis temporis spatia significantibus, velut „hora, dies", ita ut habeat eandem vim quam „uno anno".

„Mensis" eodem modo usurpatur atque „tempestas"; nusquam cum praepositionibus conjungitur, ubique autem attributionem adsciscit. Exstat autem in his versibus: Truc. 497 Nunc ad amicam *decumo mense*[2]) post Athenas... Viso. Amph. 670 adveni domum *decumo* post *mense* Aul. 798 Nam tua gnata peperit

[1]) „Ante" vel „antehac" scribendum putat Ussingius teste Ritschelio. Sed fortasse integer Amph. prol. a Plauto abjudicandus est. Cf. *Ritschelii* Parerg. p. 225 et quae *Goetzius* et *Loewius* adnotarunt ad vers. 1 et 91. Vid. *Lorenzii* praef. Mil. p. 48.

[2]) Plautus ut indicaret quanto tempore ante (post) aliquid factum esset, plerumque ablativo cum praepositione „ante" (post) conjuncto usus est. Ad hanc structuram quamquam concedendum est vim solius ablativi proxime accedere, tamen cavendum est, ne quis simplicis ablativi eandem vim esse credat atque alterius structurae praepositione auctae. Si dicitur: „anno ante" aliquid fit, significatur rem fieri priusquam annus esse coeperit; si dicitur „anno fit", rem fieri cum annus esse jam coeperit. Hujus usus exempla apud Plautum habemus Truc. 393. Amph. 91. Men. 205. Vide infra. Exempla ex aliis scriptoribus sumpta praebent Landgraf ad Cic. pro Roscio Amerino § 20 et Du Mesnil Nov. Annal. 1884 p. 765—68.

decumo mense post (Nonius p. 254, 1) Amph. 481 Alter *decumo* post *mense* nascetur puer . . alter *mense septumo*, ubi „post mense decumo" Bothius; at cf. Brugmanus p. 35,[1]) [Hunc versum cum aliis antecedentibus et insequentibus in suspicionem vocat Langenus, Beitraege etc. p. 42 et Ussingius in ed. sua ut additos ab eo, qui prologum confecerit.]

Tempus intra quod aliquid fit, voc. „mensis" bis indicatur: Poen. 872 Jam *his duobus mensibus* Volucres alae tibi erunt hirquinae. Pers. 504 Neque istoc redire *his octo* possum *mensibus*.

c. Dies.

Longum est exempla, quae „die" cum attributis exhibent, enumerare omnia singulaque significationum genera accuratius distribuere, praesertim cum eodem fere modo atque apud classicos qui dicuntur scriptores usurpentur apud Plautum. Itaque ex permagno locorum numero eos, qui corrupti videntur aut in quibus locutio propria est Plauti, afferam omnes, ex reliquis autem satis est paucos exempli gratia proferre.

a. Primum tempus quo quid fit indicatur. Amph. 254 Quia *illo die* impransus fui. Rud. 1337 *eodem* [*illo*] *die* ubi viduli sies potitus. („illo" inseruit Fleckeisenus metri causa). Men. 749 *Eodem die* illum vidi, quo te ante hunc diem. Men. 1156 Vis conclamari auctionem fore? *quo die?* Die septimi. „Quo die" scripsit Lambinum secutus Ritschelius, „quî die" Gulielmus et Taubmannus, quod quamquam propius accedit ad codicum scripturam (quidem vel quidẽ BD, quid est C) vix probabile videtur; nam quî substantivum est neque unquam apud Plautum adiectivi munere fungitur. Vid. Kienitz, de quî . . . apud priscos scriptores Latinos usu in Annal. philol. suppl. X. 1879 pp. 528 et 540. Pseud. 1173 *quotumo die* Ex Sicuone pervenisti huc? *altero* ad meridiem. Mil. 45 Sunt homines tu quos occidisti *uno die*. Sic cum Brixio legendum

[1]) Quem admodum in iambico senario Romani veteres verborum accentum cum . . num. consoc.

videtur. Cf. Langen. l. c. p. 243 qui falsam esse demonstrat Ritschelii conjecturam, Sunt homines quos tu occidisti una uno die (una deest in codd, quos tu libri cum A), quam receperunt Lorenzius et Fleckeisenus. Brixii transpositionem silentio probat Ritschelius opusc. II, 649 et Ribbeckius in editione sua, ita tamen ut hic pro „homines“ scribat „omnes“. Cas. V, 1, 5 Nunquam ecastor *ullo die* risi adaeque. Poen. 848 *suo festo die.* Aul. 380 *festo die* si quid prodegeris, *Profesto* egere liceat. Epid. 639 *natali die.* Pseud. 234. Mittam hodie huic *suo die natali* malam rem magnam et maturam. Poen. 497 *die bono*, Aphrodisiis.

Generis feminini „dies“ his locis est: Pseud. 301 Emito *die caeca* hercle olivom, id vendito *oculata die.* ibid. 279 quod tibi promisit *qua*que id promisit *die;* nihil autem discrepat a „die“ masculine usurpato.

Nunc venio ad quattuor locos, ubi localis [1]) adjectivi forma cum vocabulo „die“ coniuncta est.

Most. 881 Hoc *die crastini* quom herus resciverit (di crastini C D F, die crastini Ritschelius Pyladem secutus. Vid. quoque Lorenzium ad h. l. et ad 956. Men. 1156 quo die? *die septimi* [2]) (septimi B septimi D C. Men. 1157 Auctio fiet Menaechmi mane sane *septimi* (sic omnes libri). Pers. 260 ibi mercatum dixit *die* esse *septimei* (septimei BCD, septimi FZ), quod Lachmannus tetigit in Lucr. p. 98. Vid. Kuehner I, § 412. Alteram illam formam localem in e exeuntem, cujus exempla affert Gell. X, 24. 1 sqq. et Macrob. I, 4 apud Plautum iam non invenimus,[3]) nisi forte in Pers. 260 vestigia eius servata existimes. Notandum autem videtur „die“ habere extremam syllabum longam, propterea quod veteres etiam diequinti pro adverbio copulate dixisse secunda syllaba correpta Gellius tradit. Pertinent huc quoque adverbia illa, quae ex tali vocabulorum copulatione profecta sunt, velut

[1]) Frustra se torsit *Weisius*, cum has esse genetivi formas demonstrare conaretur. Vid. *Hartung* de cas. p 206 sqq. *Haase* ad Reisig § 365 adnot. 541. *Corssen* I, 175. 775. II, 855. *Kuhn* Ztschr. XVI, 304. *Kuehner* I, § 62, 1.

[2]) Vid. Brix. ad h. l.

[3]) Pomponius antiquissimus est scriptor, apud quem haec forma reperitur. „die quarte“ affert *Gellius* § 5 ex ejus Atellanis, die quarte § 1.

cotidie [1]) postridie, pridie, de quibus postea dicam. Vid. Ebrard. p. 606.

b. Deinde temporis spatium intra quod aliquid fit designatur. Quod quum fit praepositiones aut ponuntur aut id quod rarius est omittuntur.

Omittuntur Most. 238 Nam neque edes quicquam neque bibes apud me *his decem diebus.*[2]) Poen. 1207 Velim ... dixerit Nos fore invito domino nostro *diebus paucis* liberas.[3]) Aul. 70 Decies *die uno* saepe extrudit aedibus. Pers. 265 Diu quod bene erat, *die uno* absolvam. Pers. 37 Quos continuo tibi reponam *hoc triduo aut quadriduo.* Sed fortasse cum Lachmanno hoc loco scribendum est „in triduo aut quadriduo hoc“ (in hoc triduo libri), cum vocabula triduum, quadriduum etc. reliquis locis cum „In“ praepositione sint coniuncta.

Praepositiones ponuntur his locis: Capt. 168 nam illum confido domum *In his diebus* me reconciliassere. Truc. 643 Ego faxo dicat me *in diebus pauculis* Crudum virum esse. Pseud. 316 ego *in hoc triduo* ... evolvam id argentum tibi. Asin. 764 ni *in quadriduo* Abalienarit, quo ex argentum acceperit, ubi falsa est lectio vulgata „quo abs te“. Vid. Kampmannum de Ab praep. p. 14 et Hermannum in Censura libri Kampmanni.

Uno tantum versu Mil. 855 Ea saepe deciens complebatur[4]) [*in*] *die* simplicem ablativum „die“ exhibent libri. At deest syllaba versui, quare suo iure Ritschelius inseruit praep. „In“ Scaligerum secutus, id quod etiam Fleckeisenus probavit. Perversum esse quod voluit Bothius „de die“ intellegetur infra, ubi de praep. „De“ agendum erit. Reliquis locis ablativus „die“ attributione carens adsciscit praep. „In“, ita tamen ut ubique tempus intra quod aliquid fit indicetur. Men. 894 Quin sospitabo [sic R. pro librorum „suspirabo“, quod plane non intelligitur]

[1]) *Corssen* I, 175. 775. II, 855.

[2]) *Madvig* Gr. § 276. Anm. 5.

[3]) Sic scribendum esse monet *Fleckeisenus* Nov. annal. vol. 101 (a. 1870) p. 76. Recte autem vocabula triduum etc. hoc loco subiunguntur, quae ex numerali cum substantivo coniuncto orta sunt.

[4]) compleuatur C. completiatur D.

plus sescentos *in die* („in die“ C, errore librariorum „in dies“ B D). Stich. 501 Quaen’ eapse deciens *in die* mutat locum. Aul. frg. 3.[1]) Ego ecfodiebam denos *in die*[2]) scrobes. Unus versus Mil. 861 repugnat, ubi libri praebent, Fugiam hercle aliquo atque hoc „in die“ extollam malum. At melius res se habet, si cum Camerario legimus „in diem“.[3]) Vid. Ritschelium ad h. l.

c. ***Denique tempus unde aliquid incipit indicatur.*** Semper autem praepositiones ponuntur, sive accedit attributio sive non accedit. Poen. 500 Omnis extollo *ex hoc die* in alium diem. Pers. 479 Bonus volo iam *ex hoc die* esse. Asin. 825 ad amicam *de die* Potare.

d. Nox.

Ad noctis tempus indicandum Plautus duabus formis usus est „nocte“ et „noctu“. Ablativus „nocte“ eadem ratione usurpatur qua apud posteriores aetatis scriptores.

Ex numero exemplorum permagno affero haec: Men. 822 Nisi quo *nocte hac* exmigrasti. Cap. 127 Rud. 344. Confractast, mi Trachalio, *hac nocte* navis nobis. 362. Merc. 370. Curc. 247. 260. *Hac nocte* in somnis visus sum tuerier . . . Aesculapium, ubi „visus sum viderier“ defendit Kampmannus de Ab. praep. p. 27, collato versu 254 Rud. similiter corrupto. Merc. 102 *Ea nocte* mecum illa hospitis iussu fuit. Amph. 532 *qua nocte* ad me venisti, *eadem* abis. Rud. 84 tempestatem . . . Neptunus nobis . . *nocte hac* misit *proxima*. ibid. 561. 596. 1307. Merc. 227. Capt. 717 Quid tu? *una nocte* postulavisti et die . . . hominem . . . Te perdocere? Amph. 514 *Media nocte* heri venisti, nunc abis. hocin placet? Sic Fleckeisen. ep. crit. p. 18; „Heri venisti media nocte“ libri et R. Cist. 10 Compressit virginem . . .

---

[1]) In editione *Ritschelii* (a. 1881) p. 95. Vid. Non. p. 225, 5; libri cum transpositione vocabulorum „in die denos“.

[2]) Apparet „in die“ idem valere atque „uno die“, quod est in Aul. 70 Pers. 265.

[3]) De notione ac vi harum praepositionum infra disputabimus.

in tenebris, *multa nocte*, in via. Poen. 926 veteres editores scripserunt: Nam et hoc *nocte* consulendum, quod modo concreditumst, quod exhibent B C D. Recentiores ex A restituerunt „docte“ id quod iam Gulielmus coniecerat.

Alterum illum ablativum noctu,[1]) qui postea in adverbium abiit, apud Plautum casus naturam nondum plane abiecisse apparet ex his:

Mil. 381 somnium, quod *noctu hac* somniavi (nocte A, noctu reliqui omnes et R). Amph. 412 Nam *noctu hac* solutast navis nostra e portu Persico. ibid. 272 Credo ego *hac noctu* Nocturnum obdormivisse ebrium. ib. 404 Non *hac noctu* nostra navis huc . . venit? Sic scribendum est secundum praeceptum Spengelii „de nonne particula“ p. 4. Trin. 869. Hercle opinor mi advenienti *hac noctu* agitandumst vigilias. Amph. 731 *hac noctu* in portum advecti sumus.

De „noctu“[2]) nude posito alio loco dicendum est. Exempla collegit Ebrardus p. 609.

Ex exemplis, quae collegimus, apparet usum duarum formarum „nocte“ et „noctu“ apud Plautum esse hunc, ut „nocte“ adsciscat attributa cuiusvis generis, nunquam autem simplici efferatur ablativo; „noctu“ nullam adsumat attributionem, nisi pronomen „hac“.[3]) Cum praepositionibus sola „nocte“ forma coniungitur, velut Rud. 898 *de nocte* qui abiit piscatum ad mare. Rud. 915 *de nocte multa* impigreque exurrexi. Aliae praepositiones non accedunt.

---

[1]) Cf. *Corssen* I, 234 sq. II, 458. *Buecheler* p. 62.

[2]) Cum vocabulo „noctu“ non conferendum est „diu“, quod ubique significat „lange“, nusquam „am Tage“. Merc. 862 cum libris scribendum est „neque . . noctu neque dius“. Parum firma sunt argumenta, quae R. de forma diud affert (n. Pl. Exc. p. 85). Vid. *Ebrard* p. 609.

[3]) Apud alios eiusdem aetatis scriptores alia quoque adiectiva accedere velut „futura“ „concubia“ exemplis demonstrat *Gell.* X, 24. *Macrob.* I, 4. Vid. *Ebrard* p. 609.

e. De reliquis vocabulis temporis partes significantibus.

„Hora“ bis legimus Pseud. 1302 Credo equidem potis esse te, scelus, Massici mentis uberrumos quattuor Fructus ebibere *in una hora.* Mil. 212 Cui bini custodes semper *totis horis* occubant.
„Hiems“ semel exstat. Mil. 688 Ne algeas *hac hieme.*
„Ver“ „aestas“ „auctumnus“ plane desunt.
„Mane“ vel „mani“, et „vespere“ vel „vesperi“ naturam casus plane abiecerunt, quare melius in adverbiorum numerum referuntur. In Most. 579 Redito huc circiter *meridie* pro ablativo rectius restituitur accusativus, praesertim cum M in fine versus apparere in A testetur Ritschelius.

Hae fere sunt notiones proprie temporales, quibus Plautus usus est. Nunc dicendum est de iis nominibus, quae proprie non tempus, sed rem vel actionem significant, ponuntur autem ad tempus, quo res facta est, indicandum.

II. Notiones translate temporales.

a. Lux, diluculum, crepusculum, sol, aurora, tenebrae.

Ablativo [1]) „luci“ Plautus temporali significatione usus est sexies.

Cum attributione coniunctus est bis. Aul. 748 *Luci claro* deripiamus aurum matronis palam; sic enim recte e Nonio (p. 210, 7) rescripsit Goellerus pro „luce clara“ quod inest in BDEIZ. Vid. Non., ubi exempla adscripta sunt alia, quibus vocabulum „lux“ pro „die“ positum apud veteres esse generis masculini demonstratur. [2]) Sic quoque Amph. 165 Nonne idem *hoc luci*

[1]) Accedo iis, qui „luci“ ablativum esse censent. Vid. *Draeger* l. l. p. 829 sq. quamquam facile dubitaveris, utrum ad locativum an ad ablativum sit referendum. Cf. *Corssen* I, 777. *Buecheler* p. 62. *Ebrard* p. 607. *Kuehner* I, 178.

[2]) Cf. *Macrob.* I, 1. 117. *Ruddimann.* p. 41 not. 20. *Bergkius* p. 147. *Kuehner* I, 179. *Weisius* ad Cist. II, 1. 58.

me mittere potuit, [1]) ubi „hoc luci“ BD[1]EI Charisius (G. L. I. p. 203, 27) „hoc lucis“ D[2] F Z; „hoc“ cum „luci“ esse coniungendum existimo contra Gruterum, qui „hoc“ adverbium esse putat pro „huc“. Cf. Buecheler de decl. p. 62. Bergkius Beitraege p. 149. Kuehner I, 178. Ebrard p. 607. Et ne ii quidem recte censere videntur, qui cum Lindemanno „hoc“ accusativum cum „mittere“ coniungunt, velut Hand. Turs. III, p. 92 et Holtze I, 239 et Fleckeisenus Exerc. cr. p. 12, quibus nuper accessit Ussingius. [2]) „Lucu“ autem ne quis scribat cum Meursio monet Fleckeisenus l. l. Vide Bentleianam quoque ad Ter. Adelph. V, 3, 55 notam. [3])

Nudo ablativo effertur Men. 1006 O facinus indignum . . . erum meum . . . *Luci* derupier in via (luci i. e. am hellen lichten Tage) Cas. IV, 2. 7 Tandem ut veniamus *luci.*

Duobus locis cum praepositione „Cum“ conjungitur. Cist. II, 1, 58. Post autem *cum primo luci* cras . . . . ambo occidero. Merc. 255. Ad portum hinc abii mane *cum luci* semul. (sic Camerarium secutus Ritschelius, quum metrum postulet, „luce“ libri). Vid. Bergkium p. 147.

Pauca inveniuntur reliquorum vocabulorum exempla.

Amph. 737 *primulo diluculo* [4]) abiisti ad legiones. ib. 743 abs te abii hinc hodie *cum diluculo.* Cas. prol. 40 Cum conspicatus est *primulo crepusculo.* [4]) Aul. 565 Quin exta inspicere *in sole* vel vivo [5]) licet (sic Brugmanus p. 42 in sole e vivo BD). Poen. 217. Nam nos usque *ab aurora* ad hoc quod dieist . . nunquam concessamus Lavari. Pseud. 981 Credo *in tenebris*

[1]) Sic *Muellerus* p. 350 hunc versum scripsit, quem sequuntur *Goetzius* et *Loewius.*

[2]) Non recte igitur *Holtze* p. 104: „hoc“ est accusativus pendens a mittere.

[3]) Quod *Kuehner* (I, p. 179. Anm.) dicit veteres antiquissimis temporibus dixisse „lucu“ pro „luci“, comparato loco Terentii et Varr. L. L. 5, p. 99, ubi tamen ex coniectura demum „lucu“, cui id persuaserit spero esse nullum. Prorsus inepti autem ii videntur, qui „luci“ esse genetivum pendentem ex „hoc“ vel „claro“ contendunt, velut Osannus de pron. l. d. p. 88 sqq.

[4]) Cf. Cens. de die natal. cap. 24.

[5]) scil. agno.

conspicatus si sis me, apstineas manum. Cist. 10 compressit virginem adulescentulus . . *in tenebris* multa nocte, in via.

Asin. 685 redito huc *conticinio.* Sic recte Ritschelius. Quamquam enim optimi libri exhibent „conticinno" satis miro consensu, quod bis ex hoc versu affert Varro L. L. VI, 53 (p. 190 ed. Spengel), tamen Ussingium, qui hanc libb. lectionem probat, neminem secuturum esse existimo, quoniam „conticinnum" omnino intellegi nequit et frequentissime traditur „conticinium".[1]) Locos collegerunt Goetzius et Loewius. Asin. praef. p. XXV.

b. de dierum festorum nominibus.

Legem latini sermonis, ut in temporibus indicandis nomina ludorum et dierum festorum omissis praepositionibus ponantur etiam in usum Plautinum cadere ex his exemplis intelligitur: Pers. 436 citius Fugiunt, quam ex porta *ludis* quom emissust lepus (rectius fortasse cum Osanno Anal. p. 203 scribitur „lupus") Cas. pr. 27 Ratione utuntur. *Ludis* poscunt neminem. Poen. 1291 qui cortinam *ludis* per circum ferunt. ib. 497 Tum tu igitur die bono, *Aphrodisiis* Addice tuam mihi meretricem minusculam (bonod Ritschelius Nov. exc. p. 64), rectius fortasse Luchsius „bono hoc" Hermae vol. VIII, (a 1874) p. 105 sq. ibid. 757 sq. Mitte ad me, si audes, hodie Adelphasium tuam *Die festo celebri nobilique Aphrodisiis.* Mil. 690 Dicat: da mihi, vir, *calendis* meam qui matrem munerem. Stich. 60. Vos meministis *quotcalendis* petere demensum cibum. Mil. 691 da quod dem *quinquatribus* Praecantrici. Aul. pr. 36 Qui illam stupravit noctu, *Cereris vigiliis.* ibid. 795 Ego me iniuriam fecisse filiae fateor tuae *Cereris vigiliis;* ib. 797 Quem ego avum feci iam ut esses *filiai nuptiis*, ubi frustra Acidalius contra fidem codicum defendit vulgatam aetate sua lectionem „in filiae nuptiis".

De his nihil habeo quod addam.

---

[1]) Simile est gallicinium; cf. Cens. de die natal. cap. 24, 2 conticinium, cum galli conticuerunt.

c. Bellum et similia, pax et alia.

Si tempore belli aliquid factum esse Plautus voluit indicare, aut localem formam „duelli" [1]) posuit, ita tamen ut ubique coniuncta sit cum „domi", velut Capt. prol. 68 valete, iudices iustissumi, *domi duellique* duellatores optimi. Asin. 559 quae *domi duellique* male fecisti; omisso „domi" „duellum" non habet temporalem significationem, nam quod Truc. 483 libri B C D exhibent: Manibus *duellis* praedicare soleo ego, haud sermonibus, rectius cum Gronovio rescribendum censeo „duella", quod iure Spengelius et Schoellius receperunt, quum desideretur verbi praedicandi obiectum;[2]) [„magna in duellis" proposuit Buechelerus;] aut ablativum „bello" cum praepositione „In" coniunctum usurpavit, velut Capt. 25 ut fit *in bello.* Non plus valet exemplum, quod Weisius profert (in lexico Plaut. s. v. belli) Epid. 438 Virtute belli armatus promerui, ubi „belli" genetivus pendet ex voce „virtute". Casu autem factum esse videtur, ut ad „bello" ablativum nunquam accedant attributiones. Quod vero posteriores valde frequentarunt „domi militiaeque" apud Plautum non invenitur.[3]) Alia bellandi vocabula ubique cum „In" praep. sunt coniuncta. Men. 186 *In eo* uterque *proelio* potabimus. Pseud. 1170 *in pugna.*

„Pax" vocabulum semel notionem temporalem induit. Amph. prol. 32 Propterea *pace*[4]) advenio et pacem ad vos fero. Sic cum Ritschelio legendum videtur. At cf. Ritsch. ad h. l. et quae adnotavimus p. 8. not. 1. „Domi" de tempore non dicitur nisi duobus illis locis Capt. 68 et Asin. 559 supra allatis.

---

[1]) „belli" non de tempore dicitur; „duelli" etiam Varr. L. L. 5. 10. § 73. Cf. *Langeus* de „duelli" vocabuli origine et fatis p. 14.

[2]) Epid. 443 Nam strenuiori deterior si praedicat Suas pugnas duellis, illae fiunt sordidae, „duellis" abl. instrumenti est.

[3]) Vid. *Draeger* p. 530. Primum occurrit apud Enn. Iphig. frgm. 4. v. 257 neque domi nunc nos nec militiae sumus, et Ter. Ad. III. 4. 49 una semper militiae et domi fuimus. Cf. *Goerbig* p. 18.

[4]) „Pace" etiam Cic. acad. 2. 1. Rectius fortasse abl. instrumentalis statuendus est Rud. 698: nos ut hanc tua pace aram opsidere Sinas (verte mit deiner Erlaubnis).

d. Vita, aetas, adulescentia, senecta, puer.

„Vita“ ubique cum „In“ praep. coniungitur. Most. 225 Atque illum amatorem tibi proprium futurum *in vita*. Merc. 471 quid mist *in vita* boni? Amph. 633 Satin parva res est voluptatum *in vita* atque in aetate agunda.

„Aetas“ quum attributionem assumit, praep. „In“ promiscue ponitur et omittitur. Omittitur in his: Amph. 1032 Quia *senecta aetate* a me nunc mendicas malum. Sic Muellerus p. 544, aetated Ritschelius Nov. exc. p. 63. 74 scribere voluit, „in aetate“ Camerarius. Trin. 43 Hic ille est, *senecta aetate* qui factust puer. Aul. 253 Quem *senecta aetate* ludos facias. Cas. II. 3, 26. II. 3, 43. Merc. 985 Nam si istuc iuus sit, *senecta aetate* scortari patres. Trin. 1090 disperii miser Propter eosdem, quorum causa fui *hac aetate* exercitus; „hoc aetate“ Nonius p. 192, cui ne quis nimiam habeat fidem monet Ritschelius Trin. praef. LXXXIV; „hoc aetatis“ defendit Bergk. Beitr. p. 149. Most. 1148 Sapere *istac aetate* oportet, qui sunt capite candido. Merc. 982 Temperare *istac* ted *aetate* his decebat noxiis. Bacch. 15 Ne *istac* me *aetate* sectarere gratiis. [1])

Adduntur praepositiones in his: Men. 839 sq. qui saepe *aetate in sua* Perdidit civem innocentem falso testimonio. Poen. 228 mulieres Quae noctes diesque *omni in aetate* semper Ornantur. Rud. 1235 *in aetate hominum* plurimae Fiunt transennae. Amph. 633 *in aetate agunda* ib. 634 ita quoique est *in aetate hominum* comparatum. [2]) ib. 938 Nam *in hominum aetate* multa eveniunt huius modi.

Quum autem deest attributio, ubique praepositio ponitur. Trin. 462 Utrumque, Lesbonice, *in aetate* hau bonumst. ib. 24 Amicum castigare . . . *in aetate* utile.

Ubi simplex ablativus legitur, [3]) non tam tempus quam

[1]) respexit hunc versum Charisius p. 180.

[2]) Cf. *Hermann* Elem. p. 297. *Spengel*, Reformvorschlaege p. 240.

[3]) Merc. 984 recte legitur: aetatem aliam aliud factum condecet; aetate aliam CD, recte reliqui libri. Bacch. 166. Edepol fecisti furtum in aetatem malum (in aetate solus cod. B).

instrumentum significatur, velut Most. 201 *aetate* hoc caput colorem mutavit. Most. 196 te ille deseret *aetate* et satietate, ubi perversum est quod voluit Scaliger „aetate ex satietate“; Merc. 521 autem cum Luchsio (cf. Merc. ed Goetz) legendum censeo „Bonae hercle te frugi arbitror, iam inde a matura aetate Quom facere officium scis tuum, mulier“ pro librorum scriptura „arbitror [1]) matura iam inde aetate“, quum tempus a quo quid fit nusquam solo ablativo significetur.

„Senecta“ et „adulescentia“, quum attributionem non assumant, ubique cum „In“ praep. coniunguntur. Mil. 623 Eam pudet tibi me *in senecta* obicere sollicitudinem. Most. 217 Dum tibi nunc haec aetatulast, *in senecta* male quaerere. Amph. 1031 Prodigum te fuisse oportet olim *in adulescentia*. Pseud. 437. Bacch. 410. Epid. 387. 392. 449. 445. „Senectus“ et „iuventus“ de tempore non usurpantur. Cum „Ab“ praepositione „adulescentia“ coniunctum est Trin. 301 Semper ego usque ad hanc aetatem *ab ineunte adulescentia* Tuis servivi servitutem imperiis praedictis, pater. Saepius tamen pro nomine abstracto adhibetur concretum „puer“. Capt. 544 Tu usque *a puero* servitutem servivisti in Alide. ib. 991 is mecum *a puero* puer . . educatust usque ad adulescentiam. ib. 645 Philocrates . . . amicus fuit mihi *a puero* puer. Stich. 175 Quia iam *a pausillo puero* ridiculus fui. Merc. 90 qui olim *a puero parvulo* Mihi paedagogus fuerat (*a* D², om. BCD¹). Sic etiam Capt. 719 quicum una [*a*] *puero* aetatem exegeram? cum Fleckeiseno scribendum puto, nam *a* facile omitti potuit.

e. De substantivis verbalibus et ablativis qui dicuntur absolutis.

Ad substantiva verbalia in us exeuntia aut adiectivum aut pronomen possessivum aut nominis genetivus accedit. [2]) Duo exempla inveni, ubi per se patet tempus significari: Most. 381 Sicut ego *adventu patris* nunc quaero, quid faciam miser.

[1]) arbitro, a matura iam inde aetate etc. coniecerat *Ritschelius*.

[2]) Vid. Halm ad Cic. pro leg. Manil. cap. 8.

Amph. 657 *Eos ... primo coetu* vicimus. Reliqua exempla omnia aliter interpretanda sunt, velut Cist. II. 1. 50 nisi pedatu tertio omnis afflixero. Trin. 167 inconsultu meo Aedis venalis hasce inscribit litteris. ib. 1140 Is mille nummum se aureum Meo datu tibi ferre . . . aibat.

1. *Ablativus nominis coniunctus est:*

a) Cum participio perf. pass.

Rud. 581 Tibi ego nunquam credam quicquam nisi si *accepto pignore*. Pseud. 1029 Ne *capta praeda* capti praedones fuant. Bacch. 1070 *urbe capta*. ib. 971 *capto Ilio*. Men. 469 Pallam ad phrygionem fert *confecto prandio vinoque expoto parasito excluso*. Merc. 92 *his* sic *confectis*. Pseud. 1033 *conligatis vasis*. Amph. 366 *compositis mendaciis*. Pers. 243 *fide data* credamus. Stich. 81 *decurso* aetatis *spatio*. Aul. 79 Nunc *defaecato* demum *animo* egredior domo. Men. 989 ne sero veniam *depugnato proelio*. Men. 470 *vino expoto*. Cist. I, 3. 14 *decumo* post *mense exacto* . . peperit filiam. Trin. 702 deseras . . amicos *factis nuptiis*. Amph. 390 non loquar nisi *pace facta*. Amph. 968 *re divina facta*. Pseud. 1269 postquam opus . . perpetravi *fugatis* . . *hostibus*. Amph. 188. Pers. 753. Truc. 76. Trin. 592 *re gesta*. 1182. Stich. 402. 411. 507. Amph. 655. 644 *laude parta*. Capt. 82 *rebus prolatis*. Pers. 753 *pacibus perfectis*. Cist. I, 1. 6 *omnibus relictis rebus*. Truc. 236. Pseud. 296 a mensa surgunt *saturata cute*. Pers. 753 *hostibus victis*.

Accedunt illi loci, ubi ablativus part. perf. pass. invenitur omisso nomine.

Pers. 607 in proelium Vide ut ingrediare *auspicato*. Merc. 135 *sortito* id optigit. Poen. 788 *consulto* hoc factumst. Rud. 1196 *improviso* filiam inveni meam. Amph. 658 Certe enim me illi exspectatum *optato* venturum scio.[1]

[1] Aliter de his abl. iudicavit *Ebrard* p. 596 sq. Similiter etiam gerundium et gerundivum (part. fut. pass.) in ablativis absolutis a veteribus scriptoribus usurpatur, ita tamen ut semper notionem habeant praesentis. Vide *Holtze* I, 113 et *Weissenborn* de gerundio p. 130, qui exempla affert e Catonis libris sumpta. Plautus semel tantum gerundio usus est: Men. 882

b) Cum part. praes. act.

Amph. 747 *adstante Sosia*. Trin. 167 *me . . . . insciente*. Amph. 998 *vobis inspectantibus*. Amph. 848 *me lubente*. Men. 272. Stich. 474. Curc. 665. Truc. 361. Mil. 144 *sene sciente* hoc feci. 559 *me sciente*. Asin. 853 *filio sciente*. Poen. 322 *vigilante Venere*. Amph. 251 *vortentibus Telebois*.

Bacch. 335 *quí praesente* id aurum . . . datumst? *Populo praesente*. Pseud. 126 *pube praesenti* in contione. Asin. 455 tibi *ero praesente* reddam. Rud. 113. Most. 1164 *me praesente* amato. Curc. 712 *me ipso praesente* et Lycone tarpezita. ib. 714. Bacch. 483. Amph. 749. Curc. 434 *te praesente*. Stich. 538. Most. 564 *illo praesente*. Bacch. 301 *illis praesentibus*. Asin. 647 *praesente hoc*. Cas. 319. Bacch. 263 *eo praesente*. Curc. 711 *quo praesente*? Ablativus singularis „praesente"[1]) cum ablativo plur. nominis coniunctus apud Plautum non invenitur, neque recte Nonius p. 76, 14, ubi narrat veteres scriptores „praesente nobis" dixisse pro „praesentibus nobis", exemplum ex Amphitruone sumptum affert: nec nobis praesente aliquis quisquam nisi servus. Quae verba manifestum est spectare ad Amph. 400: Nec nobis praeter med alius quisquamst servos Sosia. Vid. Joh. Schroeder de fragmentis Amphitruonis Plautinae § 2.

Men. 968 *ero absente*. Trin. 167 *me apsente* atque *insciente*. Mil. 866. Amph. 811. Stich. 525. Men. 627. 492. Most. 1016. Epid. 62. Aul. 98. Cist. I, 1. 110. Truc. 383. Amph. 826 *te absente*. Most. 1139. Asin. 583 *sese absente*. Stich. 131 *illis absentibus*.

2. *Omisso participio abl. nominis (subst. pron.) coniunctus est:*

a) Cum substantivo.

Trin. pr. 13 rem paternam *me adiutrice* perdidit. 1161 *te advocato atque arbitro*. Stich. 603 non *me* quidem faciet *auctore*.

Lumbi sedendo mi oculi spectando dolent, *Manendo* medicum, dum se ex opere recipiat. Epid. 446 et Pers. 5, quos affert *Holtze*, ablativi sunt instrumentales.

[1] Vid. *Bombe*, de abl. absol. apud ant. Rom. script. usu, Gryphisw. 1877, p. 40—42.

Pers. 580 *hoc emptore*. 597 *me impulsore aut inlice*. Most. 916 *me suasore atque impulsore*. Curc. 434 *te interprete*. Men. 859 senem *Osse fini* dedolabo (sic BCDa, ossum fini Gronovius, osse tenus R).

b) Cum adiectivo.

Pseud. 237 *re advorsa*. Trin. 446 *bonis tuis rebus* meas res inrides malas. Most. 563 natus *dis inimicis* omnibus. Mil. 314 *deis inimicis atque iratis*. Pers. 754 *integro exercitu et praesidiis*. Capt. 739 *te invito*. Amph. 663 *me invito*. Rud. 712. Epid. 585 *hac invita*. Asin. 22 *illa viva*. Truc. 75 *re placida atque otiosa*. Trin. 376 *tua re salva*. Truc. 630 *ventre salvo*. Mil. 321 Mirumst lolio victitare te tam *vili tritico*. Most. 230 *me vivo*. Stich. 132. Bacch. 419. Epid. 203 *optuma* Vos video *opportunitate* ambo advenire. Trin. 484 Cena *hac annona* est sine sacris hereditas. Vid. Ritsch. Parerg. p. 353, qui ad caritatem annonae, quae videtur per omne belli Punici tempus gravissima fuisse, haec spectare putat.

Haud raro pro abl. absol. etiam „In" praep. cum abl. usurpari cognoscitur ex his: Trin. 344 *in rebus advorsis*. Capt. 202 *in re mala*. Trin. 610 *in re salva*. Capt. 406 *rebus in dubiis*. Trin. 609 *in re perdita*. Amph. 249 *in re praesenti*. Pseud. 1021 *in re secunda*. Poen. 524 *in re placida* atque interfectis hostibus. Mil. 393 Satin' eadem *in vigilanti* expetunt, quae in somnis visa memoras? in vigilanti A teste Ritschelio, quod receperunt Fleckeisenus et Lorenzius, vigilantis BCD. Geppert Stud. Plaut. II, 14 etiam in A praepositionem deesse testatur, quod probant Ribbeckius et Langenus p. 2.

Sed exempla iam satis multa sunt allata. Nunc ad leges quas sequitur Plautus in indicando tempore constituendas adeamus.

I. Primum ablativo significatur certum quoddam temporis momentum vel punctum, quo res aliqua vel actio fit. Quo in describendo Plautus hanc legem videtur secutus esse.

Solet praepositionem „In" ponere, quum attributio deest, si ad tempus definiendum usurpat notionem proprie temporalem velut in tempore, in die, in nocte; si utitur notione translate temporali, aut ablativum cum „In" praep. coniunctum ponit,

velut in sole, in tenebris, in bello, aut casum qui dicitur localem, ut duelli, domi. Unus versus Amph. pr. 32 repugnat „pace advenio", quem quidem a Plauto abiudicandum esse iam supra vidimus.[1]) Quum vero adiectivum vel numerale vel pronomen vel genetivus nominis adiungitur,[2]) plerumque praepositionem omittit, sive notiones proprie temporales sunt sive non sunt, velut tempestate saeva, tempore suo, advorso tempore, quinto anno quoque, decumo anno post, illo die, festo die, caeca die, hac nocte, multa nocte, hac noctu, totis horis, hac hieme, primo luci, eo proelio, senecta aetate. Additur tamen praepositio „In" nonnunquam etiam iis vocabulis, a quibus abesse solet. Neque tamen graviorem quandam vim in his efficit addita praepositio, sicut grammaticis quibusdam visum est, sed saepe vel perspicuitatis causa (in aetate sua, in aetate hominum) vel propter numerum orationis addita est (ullo in saeculo, in una hora). In aliis quidem intelligitur temporis condicio, non tempus ipsum, velut „in ipso tempore"[3])

II. Deinde ablativo describitur temporis spatium intra quod aliquid fit. Huius autem usus duplex est. Aut indicatur temporis spatium ita, ut actionem aliquam per totum illud spatium continuari significetur[4]) velut Bacch. 6 viginti annis . . abfuit. Most. 505 anno vix possum eloqui (i. e. auch wenn ich das ganze Jahr spreche, so kann ich die Wunder doch nicht erzählen); aut indicatur ita,

---

[1]) Conticinium sequitur legem notionum proprie temporalium, quum usitata alicujus noctis partis significatio facta sit. Vid. Cens. 24, 2.

[2]) His similia sunt, in quibus relativa sententia sequitur, velut Truc. 393 anno dum, Amph. prol. 91 anno cum. Vide, quae supra disputavimus.

[3]) De hac re acute iam *Kritzius* ad Sall. Cat. 48, 5 disputavit. Vide etiam *Draeger* I, p. 487. Der Abl. temporis concurrirt vielfach mit der Praeposition „In", oft ohne sich davon zu unterscheiden. Similiter *Kuehnast* p. 181 et *Zumpt* ad Cic. Verr. V, 47, 124, qui rem bene perspexerunt.

[4]) Mire halucinatur Nonius II, 30: Quotiens, inquit, per accusativum annos vel dies loquimur, iuges annos vel dies significamus, quoties per ablativum intervallum interiectis aliquibus annis vel diebus. Vid. *Haase*, Vorlesungen §§ 398—400 ed. Peter. Profecta autem est, ni fallor, haec loquendi ratio ex neglegentiore sermone vulgari.

ut ad aliquam partem illius spatii aliquid referatur. Quod duobus modis fieri potest.

Aut ita denotatur temporis spatium, ut quo momento actio fiat nihil intersit, dummodo intra eius fines fiat, ubi nos dicimus „In“ vel „Innerhalb“. Quod si fit, promiscue praepositiones ponuntur aut omittuntur. Sin autem rem vel actionem intra aliquod temporis spatium iterum ac saepius factam esse dicitur, praepositio „In“ potius ponitur quam omittitur; quare tum adhibetur, quum numeralia adverbia vel similia praecedunt: ter in anno, deciens in die, denos in die, saepe aetate in sua; solius ablativi unum tantum exemplum exstat Aul. 70 decies *die uno*.

Sin autem significatur temporis spatium, intra quod fiat actio aliqua, quae est futura, saepius praepositio ponitur quam omittitur. Exempla praesto sunt haec. Pers. 37 in hoc triduo tibi reponam. Capt. 168 illum confido domum in his diebus me reconciliassere. Pseud. 316 in hoc triduo evolvam. Asin. 764 in quadriduo abalienarit; bis tantum praepositio deest, Poen. 872 his duobus mensibus volucres alae tibi erunt. Pers. 504 Neque istoc redire his octo possum mensibus. Pers. 37 rectius „in triduo aut quadriduo“ legendum esse iam supra monuimus. Altera huius usus ratio est ea, quum temporis spatium, intra quod facta sit actio quae praeterierit, ita indicatur, ut temporis spatium iam praeteritum esse significetur.[1]) Quod si fit et attributio et praepositio desunt. Exempla apud Plautum exstant duo: Amph. prol. 91 etiam . . . anno . . . venit sc. Juppiter. Truc. 393 uxorem Me habebat anno. De altera eiusdem significationis structura praepositione „ante“ aucta vid. p. 8, not. 3.

III. Denique ablativo indicatur tempus, ex quo quid esse incipit. Quod ut describeret nusquam Plautus solo ablativo usus est, sed semper ablativus pendet ex praepositionibus ab, ex, de, de quibus deinceps dicendum est.

Ac primum quidem de „Ab“ dicemus. Duplex est huius praepositionis ratio. Nam primum designatur temporis certum initium, a quo aliquid esse vel fieri incipiat, velut Poen. 618. Jam *ab*

[1]) Vid. *Kuehnast* p. 182. *Kuehner* II, 263. Der Zeitraum, innerhalb dessen etwas geschieht, kann auch schon beendigt sein.

re divina credo apparebunt domi. Truc. 375 Utinam *a principio* rei repersisses meae. Bacch. 1001. Men. prol. 1. Most. 824 *a primo*. Saepe additur vocabulum „inde“. Merc. 521 *a matura iam inde aetate*. Bacch. 1207 *iam inde ab adulescentia*.

Deinde etiam sic usurpatur praep. Ab, ut non initium temporis solum indicetur, sed simul totum insequens spatium rem occupare significetur, ut fit Trin. 305 inde *ab ineunte aetate* depugnat suo . . . . . cum animo. Saepissime etiam terminus usque ad quem procedat actio additur, velut Most. 534 *a mane* ad noctem usque. Amph. 253 *a mane* usque ad vesperum. Trin. 301 usque ad hanc aetatem *ab ineunte adulescentia*. Mil. 1079 vivunt *ab saeclo* ad saeclum. Aetatis hominum tempora etiam describuntur nominibus personae: Stich. 175 *a pausillo puero*. Merc. 90 *a puero parvolo*. Capt. 991 *a puero* . . usque ad adulescentiam. Additum vocabulum „usque“ vel ad continuitatem vel ad finem quousque continuetur tempus, spectat: Poen. 217 usque *ab aurora* ad hoc quod dicist. Most. 534 a mane *ad noctem* usque.

Sequitur praepositio „Ex“.

Etiam „Ex“ [1]) praepositione significatur actionem aliquam a certo quodam temporis momento proficisci, sive actionis solum initium respicitur velut Pers. 479. Bonus volo iam *ex hoc die* esse. Merc. 1024 *ex hac nocte* . . . . ut lex teneat senes; sive perpetuitas ac continuitas, velut Asin. 764 in quadriduo . . *quo ex* argentum acceperit. Pseud. 1190 senes fricari sese *ex antiquo* volunt. Si additur vocabulis proprie non tempora describentibus, res significatur vel actio, quae ex alia procedat eamque accipiat, i. e. statim sequatur, ita ut temporis nexu et ordine cohaereant. Stich. 421 Nunc hunc diem unum *ex illis multis miseriis* Volo me eleutheria iam agere, h. e. post exantlatas miserias. Bacch. 152 Jam excessit mi aetas *ex magisterio tuo*. Significat igitur fere idem ac „post“.

„De“ praepositio temporis notionibus iuncta incipi quidem aliquid eo temporis momento indicat, verum etiam continuari

[1]) „Ab“ et „Ex“ ita differunt proprie, ut „Ex“ progressionem de loco interiore, „A“ progressionem de finibus significet. Vid. Diomedes I, p. 104. Quod quidem discrimen non semper apud Plautum observatur.

per illud temporis spatium.[1]) (Vid. Kampmann, de „De" praep. usu Plaut. p. 4). Rud. 898 Miror, *de nocte* qui abiit piscatum ad mare. ib. 915 *de nocte multa* . . exurrexi. Recte autem Gessner in Thes. T. II, p. 12: „de" cum nominibus temporis significat, illud tempus nondum plane effluxisse, et Schaeffer. l. l.: aliqua pars est reliqua, quae quanta sit e nexu sententiarum est definiendum. „De nocte" igitur est: noch in der Nacht, nocte nondum exhausta.[2]) Asin. 514 Ecqua pars orationis *de die* dabitur mihi? Asin. 825 *de die* potare, ad q. l. Taubmannus idem fere esse ac per diem potare adnotat. Most. 697 Non bonust somnus *de prandio*, i. e. somnus statim post prandium.

Pars II. De accusativo temporis.

In hac quoque parte primum eodem ordine quem in ablativo secutus sum servato exempla afferam; tum de accusativi usu ac ratione disseram et primum quidem de accusativo puncti temporis, deinde de accusativo spatii temporis, denique de accusativo finis sive termini dicam.

I. Notiones proprie temporales.

a. Tempus, tempestas.

Accusativus vocabuli „tempus" ubique cum praepositionibus coniunctus est.

1. Accusativus cum „Per" praep. coniunctus, si suo tempore, non sero aliquid factum esse indicatur. Bacch. 844 *Per tempus*

[1]) cf. *Wuellner,* de casibus p. 50. *Schaeffer* de usu praepositionum Terentiano p. 18. Hand. II, p. 203 sq.

[2]) Non recte Pareus (in lex. Plaut. v. De) „de die" explicat per: a prima parte diei, aliquanto rectius sine dubio Salmasius ad Plaut. Asin. IV, 2. 16 pro „de medio die" positum esse censet. Cf. *Bentlei* not. ad Hor. ep. I, 18. 91 et Hand. II, 205.

hic venit miles. Men. 139 Non potuisti magis *per tempus* mi advenire, quam advenis. Poen. 135 Scitumst, *per tempus* si obviamst, verbum vetus, i. e. si suo loco et tempore in mentem venit. Cas. II. 1, 16 Non pol *per tempus* iter mihi incepi. Vid. Boxhorn. ad h. l. ap. Gronov. Truc. 188 *per tempus* venistis mihi (venistis Schoell coll. Bacch. 844, subvenistis libri omnes, quod probat Hermannus Elem. doctr. metr. p. 156 aliique, quod tamen scite refutavit Fleckeisenus Ann. phil. t. CVII (a. 1873) p. 504. „Tempore subvenistis" de quo idem Fleckeisenus cogitavit, quin vitiosum esse existimem facere non possum. Vid. quae supra disputavimus p. 5 sq.

2. Accus. cum „Post" praepositione coniunctus, si sero, non suo tempore aliquid factum esse indicatur. Capt. 870 Abi stultus, sero *post tempus* venis. Asin. 294 Adproperabo, ne *post tempus* praedae praesidium parem.

3. Accusativus cum „Ad" praep. coniunctus, si terminus usque ad quem actio aliqua procedat indicatur. Asin. 253 Ibi tu *ad hoc diei tempus* dormitasti. Poen. 217 usque ab aurora *ad hoc* quod *dieist* (sc. tempus) . . . concessamus Lavari.

Vox „tempestas" semel tantum exstat. Most. 18 *Cis* hercle *paucas tempestates,* Tranio, Augebis ruri numerum, quod „intra breve tempus" explicat Holtze, I, p. 213.

b. Saeculum, annus, mensis.

„Saeculum" semel tantum exstat loco iam allato Mil. 1079 vivunt ab saeclo *ad saeclum.*

„Annus" vox et solo accusativo effertur et cum praepositionibus coniungitur. Solus autem accusativus pendet ex verbis, adiectivis, adverbio „abhinc". Mil. 1078 Et pueri *annos octingentos* vivunt. ib. 1081. Pseud. 829. Epid. 219 quam tuus gnatus *annos multos* deamat, deperit. Stich. 160 At ego illam (int. famem) in alvo gesto plus *annos decem.*[1]) Poen. 1189 meis

[1]) Pro accusativo post „plus" etiam abl. sequitur: Curc. 14 plus iam anno scio. Men. 446 Plus *triginta* natus *annis* ego sum.

rebus ... quibus *annos multos* carui. ib. 1239 Quia *annos multos* filias meas celavistis clam me. Aul. prol. 4. Hanc domum Iam *multos annos* est, (est om. D) quom possideo et colo. Pseud. 190 Fac sis sit delatum huc mihi frumentum, *hunc annum* quod satis ... sit. Bacch. 1097 memorat sibi eam *hunc annum* conductam. Asin. 230 *Annum hunc* ne sit cum quiquam alio. Pers. 172 Nam equidem te iam sector *quintum hunc annum.* Asin. 235 *perpetuum annum hunc* mihi uti serviat. ib. 721. 635 Ut hanc ne quoquam mitteret nisi ad se *hunc annum totum.* Pers. 21 *Plusculum annum* Fui praeferratus apud molas tribunus vapularis. Stich. 168 elephantum gravidam *perpetuos decem* Esse *annos.* Men. 1115 *quot* eras *annos* gnatus? Merc. 524 natam *annos sexaginta.* ib. 1017. Rud. 1382. Cist. IV. 2, 90. Men. 446.

Mil. 350 Nam illic noster est fortasse circiter *triennium.* Most. 79 *Triennium* qui iam hinc abest. Epid. 498 plus iam *quinquennium* sum libera.

Cas. prol. 39 *abhinc annos* factumst *sedecim* Quom conspicatust ... puellam exponi. Stich. 137 qui *abhinc* iam abierunt *triennium.* Bacch. 388 hoc factumst ferme *abhinc biennium.* Truc. 341 Quasi *abhinc ducentos annos* fuerim mortuus; „quam si hinc“ libri, quod retinet Holtze I. 220, sed „hinc“ adverbio veteres non usos esse nisi de loco constat. Recte igitur „quasi abhinc“ Fleckeisenus, quocum facit Ritschelius, Kuehner II, 72, 4. Anm. 11.[1])

Cum praep. „annus“ bis tantum coniunctum est: Rud. 1422 Commissatum omnes venitote ad me *ad annos sedecim.* Stich. 214 Prandia, Quae *inter continuum* perdidi *triennium*, ubi „intra“ Douza.

„Mensis“ semel cum praepositione coniunctum est Merc. 153 Liberum Tibi caput faciam *cis paucos mensis*;[2]) simplici accusativo saepius effertur: Trin. 543 nemo exstat qui ibi *sex mensis* vixerit. Most. 954 Quin *sex mensis* iam hic nemo habitat. Pseud. 323 Vel *sex mensis* opperibor. Pers. 137 *sex mensis* Megaribus Huc est quom commigravit. Stich. 159 Nam me illa in alvo *mensis*

[1]) Inter alia exempla satis dubia, quibus „hinc“ de tempore dici demonstretur, hunc locum attulisse Handium III, p. 91 mireris.

[2]) Vid. *Holtze* p. 213. *Kuehner* II, p. 397.

gestavit *decem.* Pers. 628 Nunquam hercle *hunc mensem vortentem*, credo, servibit tibi.

c. Dies.

Sine praepositione permulta exempla inveniuntur. Quae quamvis diversa sint non distinctis generibus adscripsi.

Epid. 298 non *decem* occupatum tibi erit argentum *dies.* Men. 951. Asin. 801. Men. 950 Helleborum potabis faxo *aliquos viginti dies*[1]) Pseud. 9 Jam *hos multos dies* Gestas tabellas tecum. Men. 104 Set mi intervallum iam *hos dies multos* fuit. Most. 589 *Multos* me hoc pacto iam *dies* frustramini. Mil. 582 me occultabo *aliquot dies.* Curc. 241 Quin tu *aliquot dies* Perdura. Pseud. 283 *aliquot hos dies* manta modo. Truc. 872 ut *hos dies aliquos* sinas Eum esse apud me. (aliquos B, aliquot Bentleius). Merc. 585 *Nullum* hercle praeter hunc *diem* illa apud me erit. Mil. 77 Ei rei *hunc diem* mihi operam decretumst dare. Most. 765 Sub diu colere te usque *perpetuum diem.* Mil. 743 *dies decem continuos* restans odio familiaest. Trin. 166 ruri ... sum ego *unos sex dies.* Stich. 153 Nam *dies totos* apud portum servus unus adsidet. Pers. 115 Negotium .... *totum* procedit *diem.* Rud. 131 Non iam *hos dies compluscolos* Quemquam istic vidi sacruficare.

Mil. 1194 *Triduum* servire nunquam te ... sinam. Mil. 742 *triduum* ibi *continuum* fuerit. Most. 958 Nunquam hic *triduum unum* desitumst potarier. Truc. 874 ut ... sinas Eum esse apud me ... *Triduum hoc* saltem. Asin. 428 *triduum hoc unum* modo foro operam adsiduam dedo. Curc. 208 ego te *hoc triduum* nunquam sinam In domo esse istac.

Praepositiones adduntur his locis: Truc. 348 Ut ... nulla faxim *cis dies paucos* siet. ib. 510 *Intra tot dies* quidem hercle iam aliquid actum oportuit. Sic scripsit Buecheler in Fleckeiseni ann. t. CV (a. 1872) p. 572; „inter“ libri. Curc. 447 sq. Dimidiam partem nationum usque omnium Subegit solus *intra viginti dies.*

[1]) de hiatu vid. *Ritsch.* praef. p. 14; transponenda esse vocabula „faxo potabis“ censuisse videtur *Hermann.* Elem. doctr. metr. p. 88.

Trin. 961 neque oculis *ante hunc diem* unquam vidi. Men. 500. 749. 305. Epid. 576. Pseud. 621. Epid. 496. Capt. 634. Stich. 267. Pseud. 731 Neque Athenas advenit unquam *ante hesternum diem.*

Amph. 672 Nunquam mihi divini quicquam creduis *post hunc diem.* Poen. 449. Mil. 565. Men. 112. 477. 692. Most. 436. Rud. 1416. Poen. 503 *In hunc diem* iam tuus sum mercennarius. Pers. 689 Lucro faciundo ego auspicavi *in hunc diem.* Stich. 478 Alium convivam quaerita tibi *in hunc diem.* ib. 517. Pseud. 128 *In hunc diem* a me ut caveant. ib. 899. Poen. 500 res serias Omnis extollo ex hoc die *in alium diem.* Aul. 531 Spes prorogatur militi *in alium diem.* Cas. III, 3. 3 *in eum diem.* Pseud. 534 Non *unum in diem* ... te in pistrinum condam. Aul. 324 Cocus ille nundinalist, *in nonum diem* Solet ire coctum. Mil. 861 Fugiam hercle aliquo atque hoc *in diem* extollam malum (sic R. Camerarium secutus, „die" libri) Stich. 638 Nunquam edepol me vivum quisquam *in diem* prospiciet *crastinum.* Pseud. 1335 *in crastinum* vos voco. Cas. III. 5, 60 Neque vitam viri *in crastinum* sinet protolli. Merc. 838 mores deteriores increbrescunt *in dies.* Men. 457 Adfatim hominumst, *in dies* qui singulas escas edint. Epid. 54 argentum sumpsit fenore *In dies* minasque argenti singulas nummis. Pers. 471 compendi feci binos panes *in dies.* Bacch. 466 Quia, malum si promptet, *in dies* faciat minus.

d. Nox.

Temporis quo quid fit momentum indicatur his locis:

Amph. 154 qui *hoc noctis* solus ambulem. ib. 163 qui *hoc noctis* A portu med ingratiis excitavit. ib. 292 quem ante aedis video *hoc noctis.* ib. 310 non placet me *hoc noctis* esse: cenavi modo.

Temporis spatium describitur in his: Amph. 639 viri mei fuit mi potestas videndi *Noctem unam* modo. ib. 280 *noctem unam,* verberatus quam pependi *perpetem.* Rud. 370 iactatae ... *perpetuam noctem.* Men. 188 tu iudicato, cum utrone hanc noctem sies. Truc. 688 mecum ut *hanc noctem* sies.

„Dies" et „nox" saepe coniuncta reperiuntur.

Most. 22 *dies noctesque* bibite. Truc. 904 Ut *dies noctesque* potet. Rud. 379 adservaret *dies noctesque.* Asin. 602 *dies noctesque* potent. Trin. 287 haec *dies noctesque* canto. Most. 235 *dies noctesque* estur, bibitur. Hic ordo vocabulorum, quem recentiores conservarunt, etiam apud Plautum usitatissimus est. „Nox" priorem locum occupat in his: Asin. 753 ut secum esset *noctes et dies.* Stich. 5 Sollicitae *noctes et dies,* soror, sumus semper. Merc. 46 Obiurigare pater haec *noctes et dies.* Poen. 228 Quae *noctes diesque* . . . semper Ornantur. Amph. 168 Quod *noctesque diesque* adsiduo satis superquest. Aliis copulandi rationibus, velut „dies atque noctes" „et dies et noctes" Plautus non usus est.

Cum praepositione „nox" raro coniungitur. Most. 534 A mane *ad noctem* usque in foro dego diem. Truc. 303 maceria . . . quae *in noctes singulas* . . . fit minor. Men. 965 Hic ero usque: *ad noctem* saltem, credo, intromittar domum; sic videtur interpungendum cum Bothio, quem sequiter Ritschelius, alii „ero usque ad noctem saltem".

e. De reliquis notionibus temporis.

„Meridies" bis tantum legitur neque usquam praepositio deest. Most. 582 hic manebo potius *ad meridiem.* ib. 579 redito huc *circiter meridiem* (meridie B C D, sed M in fine versus apparere in A Ritschelius testatur; cf. p. 14.)

Aliquanto saepius occurrit „vesper", sed ne hoc quidem praepositione caret. Most. 767 Sol semper hic est usque a mane *ad vesperum* (a mane B C D, neque est cur cum Ritschelio scribamus „a mani"). Amph. 253 a mane *usque ad vesperum.* Pseud. 530 Effectum hoc hodie reddam . . . *ad vesperum.* Merc. 580 Qui percoquat Apud te hic *usque ad vesperum.* Rud. 1288 Nunquam edepol hodie *ad vesperum* Gripum inspicietis vivum. Most. 700 Res paratast mala *in vesperum* huic seni. ib. 67 volo *In vesperum* parare piscatum mihi. Bacch. 1029 *ante vesperum.*

Haec sunt vocabula proprie tempus indicantia, quibus Plautus usus est.

II. Notiones translate temporales.

a. Lux, sol, tenebrae, stella.

„Lux“ si de tempore dicitur semper cum praepositione coniunctum est.

Men. 928 Perdormiscin tu *usque ad lucem?* Amph. 602 *ante lucem* a portu me praemisisti. ib. 639 *ante lucem* . . . abiit. ib. 699. Poen. 318. Trin. 885. Cas. II, 8. 51.

Men. 1022 nunquam hodie *ad solem occasum* viverem. Men. 437 facito *ante solem occasum* ut venias (solis libri, solem iam Lambinus restituit, quod comprobatur versu 1022, ubi solem CD, solis B, sed a m. rec. et Epid. 144 *ante solem occasum* (sic optimi libri, solis IFZ). Bacch. 426 *Ante solem . . . exorientem* in palaestram veneras.

Similiter pro nocte usurpatur voc. „tenebrae“, ut Pseud. 90 Certumst mihi *ante tenebras* tenebras persequi. Curc. 97 *per tenebras.*

Men. 175 usque *ad diurnam stellam crastinam* potabimus.

b. Aetas, adulescentia.

„Aetas“ vocabuli genetivus pendens ex pronominis accusativo singulari generis neutrius adverbialem fere in modum tempus quo quid fit describit (Vid. Draeger I, p. 367). Bacch. 343 Ne navigarem tandem *hoc aetatis* senex. Trin. 787 Quamquam *hoc* me *aetatis* sycophantari pudet. Bacch. 1090 *hocine* me *aetatis* ludos bis factum indigne? Mil. 618 Me tibi *istuc aetatis* homini facinora puerilia Obicere. ib. 657 At quidem *illuc aetatis* qui sit, non invenies alterum. Asin. 71 Neque puduit eum *id aetatis* sycophantias Struere. Merc. 290 *Quid* tibi ego *aetatis* videor?

Spatium temporis significatur his locis: Amph. 1023 ut profecto vivas *aetatem* miser. Men. 720 Nam *meam* med *aetatem* esse viduam mavelim. Mil. 626 *Hancine aetatem* exercere mei me amoris gratia? (sic CD, hacine etate B[2]). Pseud. 515 Do Jovem testem tibi Te *aetatem* impune habiturum. Merc. 549

Nam *hanc* bene se habere *aetatem* nimiost aequius. Rud. 715 in carcerem conpingi te aequumst *aetatem*que ibi Te usque habitare. Curc. 554 At tu aegrota, si lubet, per me *aetatem* quidem. Asin. 284 ut *aetatem* . . nobis sint obnoxii, quem versum respiciens Nonius p. 72, 15 aetate positum pro saepe ac diu dicit. Asin. 21 Ut tibi superstes uxor *aetatem* siet.[1]) Pseud. 822 Hoc . . . homines tam *brevem aetatem* colunt. Praepositiones raro accedunt. Capt. 742 vivo usque *ad summam aetatem.* Trin. 301 usque *ad hanc aetatem.* Cas. pr. 47 *ad meam aetatem.* Aul. 162 *post mediam aetatem.*

Adulescentia semel tantum exstat Capt. 992 bene . . educatust usque *ad adulescentiam.*

c. Ludus, dies festi aliaque vocabula, quibus tempus significatur.

Haec pro natura ac propria vi non de tempore dicuntur nisi cum praepp. coniuncta.

Men. 30 Mortales multi, ut *ad ludos,* convenerant. Curc. 644 Ea me spectatum tulerat *per Dionysia.* Stich. 179 *Per caram annonam* dixit me natum pater. Pseud. 947 *inter pocula.* Trin. 478 *apud mensam.*

Nunc ad leges, quas Plautus secutus est, constituendas adeamus.

I. De accusativo puncti temporis. Primum igitur accusativus significat tempus, quo rem aliquam factam esse indicatur, quod alibi ablativo sive per se posito sive „In“ praepositione aucto exprimitur.[2])

Exempla autem Plautina si quis accuratius perlustraverit hunc accusativum non admisisse Plautum inveniet nisi ita, ut ad pronomen demonstrativum, (hoc, illuc[3]) determinativum, (id) interro-

[1]) Cf. *Weisii* adnot. ad h. l. Aetas, inquit, ut saepe dicta pro vita. Vid. Casaubon. ad Athenaeum lib. VII. cap. 1.

[2]) Falsa est eorum sententia, qui accusativum temporis significare existement perpetuitatem atque continuitatem. Hoc tantum dici potest usu loquendi factum esse, ut exceptis paucis locutionibus accusativus ad spatium temporis indicandum reservaretur.

[3]) Illuc esse accusativum pronominis docet *Kuehner* I, p. 396, cui adstipulor contra Hand. III, 218, qui adverbium esse censet, quum quae alia exempla afferuntur pronominis sint.

gativum (quid) genere neutro expressum aut genetivus „aetatis" aut „noctis" accederet. Et „hoc (illuc, id, quid) aetatis" quidem duplici modo usurpatur; aut attributi vicibus fungitur, velut Trin. 787. Bacch. 343. Asin. 71. Bacch. 1090, aut praedicati, velut Merc. 290. Mil. 657; nusquam autem tempus absolute ut ita dicam indicatur. Quo in usu quum etiam apud posteriores scriptores inveniatur[1]) nemo fere haesit. Namque quod Lindemannus ad Trin. 767 ed. suae (R. 787) adnotavit: „hoc aetatis ablativus pro hac aetate" et ad Mil. 657 adscripsit: illoc aetatis i. e. illa aetate, quod eorum causa se notasse dicit, qui hoc loco „illuc" scriberent, hoc probaturum esse spero neminem. Per „hoc noctis" autem tempus absolute describitur velut Amph. 154. Curc. 1. Amph. 310. 292. 163, qui usus quum non ita frequens sit neque apud recentioris aetatis scriptores exstet, non defuerunt qui in hac loquendi ratione offenderent. Quorum alii aliam interpretandi viam sunt ingressi. Kuehner Gramm. lat. II, p. 215 „hoc noctis" explicat per „hanc noctis partem", quem accusativum pendere vult ex verbo ambulandi (Amph. 154). At dubito num recte id fecerit. Ubicunque enim accusativus legitur cohaerere videtur cum verbo, quoniam accusativi ratio generalis haec est, ut rem actione aliqua occupatam indicet.[2]) Neque ii recte iudicare videntur, qui cum Lindemanno „hoc" ablativum esse putant, quum genetivus partitivus qui dicitur cum pronominum neutro singularis non coniungatur nisi aut nominativo aut accusativo casu pronomen positum est. Vid. Kuehner II, 315. Recte igitur Holtze I, p. 220 Invenitur, inquit, etiam accusativus temporis, ubi non tam perpetuitas, sed unum tantum punctum temporis significatur, quam sententiam aliis quoque exemplis ex veteribus scriptoribus desumptis comprobavit. Cf. Draeger I, 367. Der Accusativus temporis dient in vorklassischer Sprache auch zur Bezeichnung der blossen Zeitangabe ohne Rücksicht auf die Dauer.

Deinde tempus quo quid fit etiam significatur praepositione

[1]) Exempla praebet *Kuehner* II, 215. 217.

[2]) Neque recte idem *Kuehner* II, 215 id aetatis per analogiam vocabuli „natus" videtur explicare. De acc. usu ac ratione uberius egit *Holtze* I, 183 sqq.

„Per" accusativo addita, ita ut eandem fere habeat vim quam „In" praepositio cum ablativo coniuncta, quod apparet ex his: Bacch. 844 per tempus .. venit. Mil. 139. Poen. 135. Cas. II, 1. 16. Truc. 188 per tempus venistis, h. e. in tempore, opportune vel in ipso tempore, zu rechter Zeit. Cf. Kuehner II, p. 404. Draeger I, 560. Holtze I, 215. Itemque „Per" accedit ad notiones proprie non temporales. Stich. 179 per caram annonam. Curc. 97 per tenebras. Curc. 644 per Dionoysia. Cist. I, 1. 91.

II. De accusativo spatii temporis. Venimus nunc ad illud multo usitatius genus, quum quamdiu aliquid fiat accusativo indicatur. Pendet autem hic accusativus ex verbis, adiectivis, adverbio „abhinc". Ex verbis autem si pendet aut casus obiecti est, quod actio prorsus amplectitur, velut Asin. 235 annum servire. Pers. 628 mensem servire. Rud. 715 aetatem habitare. Amph. 1023 aetatem (i. e. longum tempus) vivere, noctes vigilare; aut laxiore tantum vinculo cum verbo coniunctus est, velut Mil. 582 me occultabo aliquot dies. Asin. 635 ut mitteret .. hanc .. ad se hunc annum totum. Trin. 287 haec dies notesque canto. Merc. 46. Pers. 172. Poen. 1189 quibus annos multos carui. Merc. 542 diem unum oravit Ut apud me praehiberem locum. Mil. 1078. Pseud. 283. Aul. 73 totos sedere dies. Asin. 602. Most. 22. Most. 235 dies noctesque estur, bibitur. ib. 958 triduum unum desitumst potarier. Aul. prol. 4 multos annos est quom possideo, ad q. l. adnotavit Lambinus duas Plautum loquendi formulas diversas confudisse, unam „iam multi anni sunt, quom", alteram „iam multos annos possideo". At non est prudentis interpretis ad fusionem constructionum confugere;[1]) cf. Pers. 137 leno haudum sex mensis Megaribus Huc est quom commigravit, quo impersonalis ut ita dicam constructio verbi „esse" defenditur ac firmatur.

Ex adiectivis si pendet accusativus, significatur notionem actionis vel rei (Zustand) quae inest in adiectivis durare per tempus accusativo descriptum. Asin. 284 aetatem nobis sint obnoxii. Epid. 498 sum libera quinquennium. Stich. 5 Sollicitae noctes et dies. ib. 160 gravidam decem annos. Asin. 21 tibi superstes uxor aetatem siet. Merc. 524 natus annos sexaginta. Rud. 1382.

[1]) Prorsus ineptum est quod voluit Rostius „multus annus".

Cist. IV, 2. 19. Mil. 629. Vid. Fleckeisen in ed. Plaut. I, praef. XXVI. Men. 446. Cist. II, 3. 20 ducentos annos mortuus.

Denique acc. spatii cum adverbio „abhinc“ coniunctus est. „Abhinc“ significat actionem cohaerere cum eo temporis momento, quod est loquenti proximum, i. e. tempus praesens. Per se autem quamquam aptum est ad tempus et futurum et praeteritum definiendum, tamen eius significatio apud Plautum eo est restricta, ut de tempore tantum praeterito usurpetur, velut cognoscitur ex his: Cas. pr. 39 abhinc annos factum est sedecim. Stich. 139 abhinc . . . triennium. Bacch. 388 hoc factumst ferme abhinc biennium. Semper autem „abhinc“ antecedit nomina annorum et proximum quidem locum occupat. Semel tantum Most. 494 abhinc cum ablativo coniungitur: Qui abhinc sexaginta annis occisus foret, ubi tamen abhinc non pertinet ad tempus quod loquenti est proximum. Cf. Kuehner II, 215 et quae de hoc loco disputavit Madvig, Bemerkungen p. 65.[1]) Truc. 341 autem „quasi abhinc ducentos annos“ scribendum esse iam supra monuimus.

Attributa quae ad accusativum spatii accedunt, aut adiectiva perpetuitatem significantia sunt, velut Rud. 370 perpetuam noctem. Most. 765 perpetuom diem. Mil. 742 triduum . . . continuum. Stich. 153 dies totos,[2]) aut numeralia cardinalia et ordinalia, quae temporis spatium certis finibus circumscribunt, velut Mil. 582 aliquot dies. Truc. 872 dies aliquos. Rud. 131 dies complusculos. Men. 950 aliquos viginti dies. Trin. 166 unos sex dies. Pers. 172 te iam sector quintum annum[3]), aut accedit denique pronomen „hic“. Quod si fit significatur tempus cohaerere cum illo tempore quo quis loquitur, sive futurum est sive exactum sive praesens. De praesenti tempore dicitur: Asin. 230 Annum hunc ne sit cum alio. ib. 235 perpetuum annum hunc mihi uti serviat; de praeterito: Asin. 428 triduum hoc unum operam dedi. Rud. 131 hos dies complusculos nullum vidi sacruficare; de futuro: Truc. 872

[1]) Fuisse qui accusativum unum probarent intelligitur ex Charisio p. 175.

[2]) Raro fit ut notio continuitatis ad verbum ipsum referatur, ut Mil. 1079 mille annorum perpetuo vivunt, aut ad obiectum, ut Asin. 428 triduum . . . operam assiduam dedi.

[3]) Valde delectatur Plautus copia vocabulorum satis magna, quae sunt formata ex numeralibus cum substantivis coniunctis, ut triduum, quadriduum, biennium, triennium, quinquennium.

ut hos dies aliquos sinas eum esse apud me. Curc. 208 ego te hoc triduum nunquam sinam in domo.

Accusativi vero spatii cum praepositione „Per“ coniuncti allata exempla apud Plautum invenies nulla, nisi forte exempla p. 35 huc referas. Restat ut dicamus

III. de accusativo finis sive termini. Accusativus termini semper pendet ex praepositionibus. Duplex autem ratio est. Via quam ingressa actio aliqua procedit significatur duobus modis: aut ita, ut ad certum quoddam punctum temporis dirigatur, quod fit per praepositiones „ad, in“; aut ita, ut certis quibusdam terminis includatur, quod fit per praepositiones „inter, intra, cis, ante, post“.

1. Initium capiamus a praep. „Ad“.

a. Terminus usque ad quem. „Ab“ praepositio si de tempore dicitur, describitur ea temporis pars, usque ad quam actio aliqua permaneat aut producatur, ita ut ultra eius fines non progrediatur. Asin. 253 ad hoc diei tempus dormitasti. Asin. 630 qui nunquam ad vesperum vivam. Men. 1022 nunquam hodie ad solem occasum viverem. Merc. 582 ad meridiem hic manebo. Ita cum nominibus rerum coniungitur quae tempore continentur aut tempore aliquo fiunt. Capt. 742 vivo ad summam aetatem. Usque si additur, significatur continuitas. Merc. 580 usque ad vesperum. Men. 175 usque ad diurnam stellam. Mil. 163 usque ad mortem. Aul. 336 poscam usque ad ravim.[1]) Saepe fit ut termino ad quem actio procedat etiam addatur terminus unde exeat. Amph. 253 a mane ad vesperum. Mil. 503. Trin. 301. Capt. 992.

b. Etiam temporis spatium complectitur praepositio „Ad“. Rud. 1422 (Comissatum omnes venitote ad me ad annos sedecim) usurpatur eodem sensu quo „in annos“ vel „per annos sedecim“; nos dicimus: auf sechzehn Jahre. Alia exempla quae hunc usum probant composuerunt Hand. I, 88. Kuehner II, 380.

c. Denique „Ad“ praepositione significatur regio ut ita dicam temporis, ubi actio aliqua fit, ita ut factam cogitari necesse sit paulo ante indicatum tempus. Men. 965 ad noctem saltem credo intromittar domum h. e. spero fore ut intromittar quum tempus ad noctem tendat; nos dicimus: gegen die Nacht vel vor der Nacht.

[1]) Videlicet temporis significatio paulatim abit ad gradus notionem, usque ad ravim h. e. bis zum Eintritt der Heiserkeit.

Asin. 799 ad vinum i. e. tempore quo compotamus.[1]) Pseud. 1174 altero ad meridiem (int. die), quocum comparari potest Most. 579 circiter meridiem. Aul. 526 ad postremum, et similiter: ad ultimum, ad posterum.

2. Sequitur ut „In" praepositionis usum contemplemur.

a. Primum „In" praep. describit tempus quousque aliquid maneat, ita tamen ut huius quoque aliquam partem occupet. Eandem fere vim habet quam Graecorum praepositio εἰς. Cf. Holtze p. 208. Aul. 531 spes prorogatur . . in alium diem. Stich. 638 Nunquam edepol me vivum quisquam in diem prospiciet crastinum. Cas. III. 5, 43 Neque vitam viri in crastinum sinet protolli. Poen. 500 omnes extollo ex hoc die in alium diem.

b. Tum designat temporis spatium ita, ut rem usque ad finem temporis durare indicet. Pseud. 547 da in hunc diem operam. Cas. III, 3. 3. Pseud. 128 in hunc diem me ut caveat. Capt. 441 serva tibi in perpetuum amicum. Stich. 447. Epid. 298 in decem occupatum tibi erit argentum dies. Multis locis significatio simul est distributiva. Truc. 303 maceria . . in noctes singulas fit minor. Men. 457 in dies qui singulas escas edint. Bacch. 466. Pers. 471. Men. 838 mores deteriores increbrescunt in dies. Aul. 324 in nonum diem solet ire coctum.

c. Denique „In" describit tempus ad aliquid agendum constitutum. Trin. 1189 in perendinum paratus sis ut ducas uxorem. Most. 67 volo in vesperum parare piscatum mihi. ib. 700. Truc. 1334 in crastinum vos voco. Vid. Holtze p. 209 et Kampmannus de „In" praep. p. 39.

3. Accedo ad „Inter" praepositionem.

a. Ac primum quidem „Inter" tempus significat in quod aliquid incidit ita ut continuum tempus cogitetur quod duobus terminis inclusum sit; termini vero aut diserte nominantur, ut si dicas: inter horam tertiam et quartam, cuius usus exempla apud Plautum desiderantur; aut initium finisque continui alicuius temporis sunt cogitanda: Poen. 1398 inter negotium. Stich. 679 inter illud negotium. Pseud. 947 inter pocula.

b. Deinde intelligitur etiam totum spatium temporis in quo quid factum sit: Stich. 214 inter continuum triennium.

[1]) Hand. I, 98 de eo tempore, inquit, praep. „Ad" usurpatur quod non accurate definitur, sed tantum ex propinquitate alicuius certi momenti designatur.

4. Similem significationem habet „Intra" praepositio, quae indicat obtinere rem aliquam temporis spatium, quod finibus est inclusum, neque ultra excurrere.[1]) Curc. 448 intra viginti dies i. e. priusquam viginti dies finem haberent, nos dicimus: vor Ablauf von zwanzig Tagen. Truc. 510 intra tot dies. [inter libri, intra Buechelerus in Fleckeiseni ann. t. CV (a. 1872) p. 572]. Alia exempla non inveni.

5. Eandem vero vim quam „Intra" habet „Cis", cuius quidem temporalis significatio rara est; tribus tantum locis exstat: Merc. 153 cis paucos menses. Truc. 348 cis dies paucos. Most. 18 Cis . . . paucas tempestates h. e. intra breve tempus. Vid. Holtze I, p. 213. Unam igitur formulam additi vocabuli „paucus" (cf. Hand. II, 75) Plautus usurpavit.

6. Totius disputationis finem faciant praepositiones „Ante" et „Post".

„Ante" quum de tempore usurpatur, et cum nominibus temporum et cum nominibus rerum in tempore apparentium coniungitur. Ex permagno exemplorum numero ea tantum nobis commemoranda videntur, in quibus aliqua proprietas cernitur. Epid. 144 ante solem occasum. Bacch. 426 ante solem orientem. Trin. 961 ante hunc diem. Aul. 162 post mediam aetatem. Capt. 118 post occasionem. Asin. 294 post tempus. Capt. 870 sero post tempus, h. e. post tempus legitimum. Etiam cum pronominibus coniunguntur. Cas. I, 42 post id locorum. Notandum autem videtur has praepositiones, si accusativus sequatur, ubique primum locum obtinere, alteram illam collocationem, qua inter substantivum et attributum ponuntur, ut „tres post annos" non inveniri. De ablativo autem cum „Post" et „Ante" coniuncto, qui est abl. gradus sive mensurae, si indicandum est quanto ante aut post aliqua res acciderit, vide supra p. 8.

„Secundum" praepositione Plautus de tempore non usus est. Namque non plus valet quod Cas. prol. 28 legitur: Ludis poscunt [ne]minem, Secundum ludos autem reddunt nemini, quoniam [pro]logum Casinae non esse Plautinum nemo est qui neget.

At haec quidem hac tenus. Quae de particularum temporum [i]n Plautino incohata habeo, ea alio fortasse tempore promam.

[1]) Discrimen quod intercedit inter „Intra" et „Inter" bene demonstravit [Z]umpt ad Cic. Verr. I, 13, 37.

Vita.

Natus sum **Rudolfus Leers** Cal. Febr. a. h. s. LVIII Halberstadii patre Eduardo, matre Charlotta e gente Waeser oriunda, quos adhuc superstites summa pietate colo. Fidei addictus sum evangelicae. In urbe patria et elementis literarum imbutus et in gymnasio, cuius directori Schmidt et praeceptoribus, inprimis Voigt, Scheibe, Willmann, magnam habeo gratiam, ad artes liberales eruditus sum. Maturitatis testimonium adeptus, ut antiquarum literarum studio operam darem, vere anni LXXIX Lipsiam me contuli, ubi scholas audivi, quas habuerunt G. Curtius, Ribbeck, Lange, Lipsius, Heinze, Noorden, Voigt. Deinde tribus semestribus peractis Halas transmigravi, ubi per quattuor semestria scholis interfui virorum doctorum Dittenberger, G. Droysen, Dümmler, Haym, Hertzberg, Hiller, Keil. Per tria semestria particeps fui et proseminarii et seminarii philologici exercitationum, et inter sodales seminarii historici ut reciperer mihi contigit benevolentia Dümmleri et G. Droyseni. Quibus omnibus viris illustrissimis maximas ago gratias.

Inde ab autumno anni 1883 examine pro facultate docendi superato gymnasii Wernigerodani candidatus probandus eram, unde post tria semestria Islebiam transmigravi ibique praeceptorum gymnasii regii numero adscriptus sum.